



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 52. Quoddam Conjuratorum agmen prope Tornacum profligatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.

A.C. 1567.

Hac severitate conjurati non parum turbabantur, eo potissimum nomine, quod Norcarmius insuperhabita hyemis importunitate urbem cingere iustus esset.

§. LII.

Quoddam Conjuratorum agmen prope Tornacum profligatum.

Cum interea exeunte Mense Decembris Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto hujus Urbis obsidio pararetur, circa Tornacensem agrum quatuor Gheusiorum millia sub signis apparuere, Duce Joanne Soreano: porro consilium iis erat. Insulas urbem Gallicæ Flandriæ Principem invadendi, nam ad id exequendum spem fecerant consistoriales aliqui mercatores, qui in ea urbe plures, ac ditissimi cum Fœderatis clandestina fovebant consilia. Verum Norcarmius mandata acceperat, ut hostium molimina admoto milite, quem prope Valencenam habebat, præveniret, prius vero rem conferret cum Joanne Rassinghemio Insularum, Duaci, & Orchesii Governatore, qui non ita pridem ex conjuratis plusquam trecentos Armentarienses, plerosque militiæ rudes aggressus profligavit, plusquam eorum ducentis trucidatis, reliquis cum summa ignominia in fugam actis.

Hæc

Hæc clades fœderatos ab Infulis rece- Sæcul. XVI.
dere, ac Lannojum versus contendere A.C. 1567.
compulit, cum autem eis urbis portæ
occluderentur, Norcarmius fugitivos
insequendi spatium, eosque aggredien-
di opportunitatem nanciscebatur: at
cum copias suas in aciem collocare pa-
raret, animadvertit Gheusios campe-
stri, apertoque prælio impares, in lo-
cum impeditum, clausumque, ac saltui
proximum paulatim abscedere: ergo
tres immittit illuc sclopetariorum cohör-
tes, manipulis aliquot hastatorum im-
mistas, ipse cum equite secuturus.
Gheusii sustinere strenue impetum a
principio, explosis aliquot, quæ dispo-
suerant in aditu, minoribus tormentis:
licet eequidem aliqui eorum caderent,
submissis tamen aliis, atque aliis, fa-
cile inter eas loci angustias Norcarmia-
nos ingressu arcebant: sed aperto tan-
dem hastarum vi aditu, irrumpentibus-
que equitum, peditumque signis fœ-
derati illico pedem referunt, confusis-
que ordinibus terga vertunt: ubi in fu-
ga, in qua plus periculi, quam in con-
serta, constantique pugna, pecorum
more cæsi, paucissimi ex tanto nume-
ro diversis per saltum itineribus evase-
re cum Duce Soreano, qui in fuga vul-
neratus est: Norcarmius vero sex tan-
tummodo suorum delideratis, ac no-
vem

Sæcul. XVI.
A. C. 1567.

vem hostium signis, viginti campestribus tormentis, doliisque duobus nitratipulveris potitus victor evasit.

§. LIII.

Norcarmius Tornacum ad deditiorem provocans, urbemque ingrediens.

*Strad. &
Thu. l. c.*

Hujus victoriæ opportunitate Norcarmius utendum ratus copias suas Tornaco admovet, missoque Tubicine præcipit Gubernatricis nomine, ut Tornacenses præsidarium militem protinus acciperent: si abnuant, aut morerentur, se armis victricibus in eos usurumminatus. Tornacenses, audita ab iis, qui profugerant, suorum strage, acrepentina, armataque Norcarmii denuntiatione perculsi, cum spatium, rationemque consultandi & victor ad portas, & intra animos pavor excluderet, sese Ducis fidei, clementiæque committunt: ergo ille triumphanti similis urbem ingressus statim populum exarmat, missis, qui per urbis domos arma, telaque omnia inde auferrent, atque in arcem comportarent. Dein rebellionis incitatores in carceres conjecit, atque Episcopum, & clerum in locum, gradumque revocavit, & postremo Consistoriis, atque hujusmodi cœtibus, plerumque seditionum officinis, penitus disturbatis, interdictisque, hæreticæ factionis

ner-